✠

ELVCVBRATIO BREVIS

APPERIENS SENSVM ÆNIGMATIS SVBSCRIPTI

ÆLIA, LÆLIA, CRISPIS, &c.

INNIXA TESTIMONIJS, TVM SACRIS, TVM PROPHANIS, ET FLORIBVS UTRIVSQUE HISTORIÆ CIRCVMORNATA.

OPUSCULUM

D. D. D. ILDEFONSO DE BAESSA, ET MENDOZA, Decano, & Canonico Sanct. Metropol. Ecclef. Hiſpalenſis ex animo ſacrum.

AUTHORE

D. ANTONIO LOPEZ DE AMEZQUITA, ET CAÑADAS, Doctore Theologo in Alma Vniverſitate Hiſpalenſi: olim Cathedræ tum Primariæ, tum Veſpertinæ Theologiæ; & Patriarchalis Eccleſiæ Hiſpalenſis Magiſtralis Canonicatus Oppoſitore; mox Epiſcopatuum Septenſis, & Hienenſis Judice Synodali Examinatore: nunc in dicta Vniverſitate propriæ Theologiæ Cathedræ Moderatore, & Eccleſiæ Parochialis Sancti Rochi Cura, & animarum Rectore.

Anno 1737.

HISPALI: Typis Regalibus (vulgo del Correo Viejo) D. FRANCISCI JOSEPHI DE LEEFDAEL.

ILL^{MO.} *D*^{NO} *D*^{R.} *D*^{NO} *ILDEFONSO DE BAESSA, & Mendoza, Decano, & Canonico Sanctæ Almæ Metropolitanæ Patriarch. Hispalensis Ecclesiæ.*

S. O. C.

CVr munisculum hoc (Vir Amplissime) tuæ celsitudini consecrarem, non est quærenda ratio; ratio etenim exigit, ut Mari Magno scientiarum omnium, in quod intrant exigui, & magni rivuli aquarum, quin redundet; quia ab illo fluviorum omnium aquæ derivantur; parva guttula, quæ in hoc opusculo est, & pro mea tenuitate, à te immenso Mari hausi, nam à te illud didici, restituitur, quia ad locum, undè exeunt flumina revertuntur. Non dedo; sed solvo, quia quod ad lucis tuæ radios, quim sæcutirem, vidi tenebris involutum, Templo benignitatis tuæ consecro, sub alis protectionis tuæ constituo. Tùm ne ingratitudinis notà inurar: tùm ut à vulgari mordaci dente vindices, cujus timore correptus dicere possem, *Salva nos, perimus*: nisi te duce, in lucem prodeamus. O utinam nomine nunquam perituro sospitem, provehat Deus, & incolumem.

ILLVSTRISSIME PRINCEPS

Tuus additissimus, favore, & famulatu conspicuus

Doct. D. Antonius Lopez de Amezquita, & Cañadas.

Censura R. P. Fr. Joannis Marin, Ordinis Divi Augustini: Provinciæ Bæticæ ex-Provincialis: Supremæ Inquisitionis Calificatoris: Actualis suæ Provinciæ Diffinitoris: Examinatoris Synodalis in Archiepiscopatu Hispalensi &c.

DE commissione D. D. D. Antonij Fernandez Raxo, Canonici Hispalensis, & totius Archiepiscopatus Provisoris Opus hoc vidi, de quo dici debet (Virg. Æneid. lib. 5. ✝. 128. & 29. fol. 206.) Hoc Opus, hic Labor est. *Pauci, quos æquus amavit*

Jupiter, aut ardens evexit ad æthera virtus,

Dijs geniti potuere. . . . .

efficere: quocum Author non solùm Vniversitatis; sed Vniversalis Doctor appellari debet, à cujus laude vaco, estò invitus; quia (ut præcepto sucumbam) brevitati inhio. Sentio nil continere contra bonos mores, salvo, &c. in Domo Magnâ S. Augustini P. N. die 20. Junij 1737.

Mag. Fr. Joannes Marin.

Atentâ Censurâ R. P. Fr. Joannis Marin de commissione me datâ; typis mandetur. Hispali, die 5. Jullij 1737.

Doct. Raxo.

Judicium P. Dominici Garciæ, Societatis Jesu; Olim Primariæ Theologiæ Cathedræ moderatoris: nec non Præfecti generalis Studiorum; nunc Diœcesis Hispalensis Examinatoris Synodalis.

NOdum Gordianum Ænigmati similem, vel ænigma nodo simile Gordiano, mirabiliter præcisum vidi, vel dissolutum legi. Et nihil, quod pietati sit dissonum, vel Regijs sanctionibus adversum, in brevi hoc, ac floridissimo opusculo sedula mentis meæ, & oculorum studiositate offendere potuit. Lucem igitur videat; si benignè, ut assoler, facultatem concedat D. D. Hieronymus Antonius de Barreda, & Yebra, Almæ, & Apostolicæ Ecclesiæ Compostellanæ Canonicus; in Hispalensi Sanctæ Fidei Tribunali Judex; & Librorum Editionibus pro hâc Provinciâ Præfectus; cujus Mandato obtemperans, meum judicium profero. In hac Professorum Domo Societatis Jesu; die 23. Junij, anni 1737.

✠

Dominicus Garcia.

Præcedente Judicio R. P. Dominici Garcia è Societate Jesu, imprimatur. Hispali die 5. Julij 1737.

Lic. Barreda.

D. M.

ÆLIA, LÆLIA, CRISPIS, NEC VIR, NEC
MVLIER, NEC ANDROGYNA;
NEC PVELLA, NEC JUVENIS, NEC ANVS;
NEC CASTA, NEC MERETRIX, NEC PVDICA;
SED OMNIA:
SUBLATA NEQUE FAME, NEQUE FERRO, NEQUE
VENENO; SED OMNIBUS:
NEC COELO, NEC AQVIS, NEC TERRIS;
SED UBIQUE JACET.
LUC. AGATHO PRISCIUS, NEC MARITUS,
NEC AMATOR, NEC NECESSARIUS;
NEQVE MOERENS, NEQVE GAVDENS, NEQVE
FLENS;
HANC NEC MOLEM, NEC PYRAMIDEM,
NEC SEPVLCHRVM,
SED OMNIA.
SCIT, ET NESCIT CVI POSVERIT.

§. I. EPitaphium hoc, ut novum vidi in manibus cujusdam hac tempestate florentis ingenij tam nobilis, ut nulli sit nubilis, fatior, quod *adhæsit lingua mea faucibus meis, & cor meum dereliquit me.* (Psalm. 136. 6.) Evolvebam equidem mentis obtusæ & imbecilis meæ cubicula ut intelligentiam ænigmatis hariolarer, sicuti *quærens dragman evertebat domum*; (Lucæ 15. 9.) sed cùm quærerem novum, & sit tam ænigmaticum quam vetus, *non inveni* sensum, *quem diligit* ani-

anima mea; (Cant.3.4.) & si aliquid meditabar, protinùs effugiebat, *declinaverat*, *atque transierat*, (Et vers.3.) & si dicebam, *non dimittam, donec introducam in domum*, (Cant.3.4.) domus, mens, inquam, corruebat.

Epitaphium hoc ut vidi scriptum; non ut sculptum est, erat; sed sine: D. M. quæ litteræ, & puncta communia sunt in omnibus vetustatis Epitaphijs de more; quo DIIS MANIBVS veteres opera consecrabant. Quod tam perspicuum est in veteribus monumentis, & Authoribus, ut in hoc immorari oleum, & operam insummendo, supervacaneum duxi.

2. Multis ergo diebus consumptis in meditatione ænigmatis, magis fortunâ, & casu, quam studio, codice quodam erugine demolito legi, Epitaphium hoc Bononiæ extrà Mascarellam januam, tamquam jactus est lapis, propè Villulam Marci Antonij Voltæ Patritij Bononiensis in pariete Templi cùm Villà conjuncti extare quoddam marmori incisum, cujus Vetustatem exesæ jam litteræ manifestant. Non illud in scilice vidi depictum, sed legi translatum; numquam enim peragravi Bononiam: quamvis enim olim nobili togà Collegij Majoris Sancti Clementis decorari percupivi, curis involutus, non fui adeptus; & si tunc Curis imbuebar post dupliciter Curà adstrictus, solùm Curà fuit in tam Vigili, ut Cor urat: in Animarum, inquam, CVRA: sicque credo invenisse ænigma hoc, non fuisse studio; sed Dea fortuna duce, ut eleganter cecinit Poëta. (Juven.sat, 10.)

Nullum Numen habes, si sit prudentia, sed te
Nos facimus fortunam Deam, Cœloque locamus.

Quando ergo vidi Epitaphium in manibus præcitati nobilissimi Ingenij, elucidatum sensum, quem meditatum fuerat, favore, quo solet apperuit mihi, statuæ mulieris Lot adoptando omnia ænigmatis, & quidem egregriè; nam cùm fuerit *conversa in statuam salis* (*metalici.*) Cornel.hìc fol.149. uxor Lot, (Gen.19.26.) & sal ex omnibus mixtis exhauriri possit; benè competit statuæ *Omnia* esse. Et cùm Justitia Divina explicetur in Scripturà nomine Ferri, Famis, & Veneni, juxta illud: *Ferruum pertransit animam ejus.* (Psalm.104.18.) *Famen patientur, ut canes.* (Et 58.7.) *Venenum Aspidum insanabile.*

 (Deut.

(Deut. 32. 33.) Et ira Dei punivit mulierem, benedicitur, quod *sublata est*, *neque FAME*, *neque FERRO*, *neque VENENO*; *sed OMNIBUS*, quia ira Dei subjectivè nil horum; sed effectivè omnia hæc est.

3. Hęc & alia, quæ omitto, apperta fuere mihi à pręcitato celeberrimo ingenio, quam quidem sententiam amplecterer, sed claudus in montem excelsum Scripturæ Sacræ ascendere nequit, solùm enim *Aquila grandis magnarum alarum venit ad Lybanum.* (Ezeq. 17. 3.) *Ego vero sicut pullus hyrundinis clamabo*, (Isaiæ 38. 14.) & alia via humili *in convalibus vulgò Cañadas* incedam, aliqua estô caliginosa veterum luce.

4. De hoc ænigmate apperiendo tractarunt diversi, & in eo enodando semper insudarunt ingenia. Primus qui in hanc Messem falcem misit, fuit Marius Michael Angelus natione Italus, Philosophus Patavinus, qui *AQUÆ PLUVIÆ* adaptandum judicavit. Turrius Brugensis, Belga Jurisconsultus *MATERIÆ PRIMÆ* competere conatur. Ricardus Vitus Anglus Jurisconsultus de *NIOBE* primò, post de *ANIMA*, demum de *IDEA* intelligendum dixit. Postmodùm Barnaudus Medicus natione Gallus de *MERCURIO CHIMICO* commentatus est. Et est volumen integrum Patavij olim; recentius vero Dordraci apud Batavos excusum continens innumera placita pro dilucidatione ænigmatis.

5. Verum enim verò, supposita venia tam gravium Authorum judico eos velle hariolari, & verum sensum non invenere; magis enim mihi arridet sententia Prima novior, & omnibus accutior, quæ statuæ uxoris Lot adaptat ænigma tum propter præfata fundamenta; tùm etiam quia cum Lot, (qui *Involutus*, *& Colligatus* (D. Hyeron. de nomin. Hæbraic.) interpretatur, turbine afflictionis) non respexit post se, *nescit cui posuerit eam* quanvis *scierit* versam esse in statuam salis. Et cum *PRISCIUS* pro eodem usurpetur ac *ANTIQUUS* ly *PRISCIUS* bené exprimit Lot, qui in mundi geneseos floruit, & cum uxor *SUBLATA* fuerit, & ille biberit vinum, inebriandose taliter *ut non sentit*, quod filia mayor, & minor dormierunt cum illo conceperunt, & *salvaverunt semen Patris*; illa peperit *Moab*, & hæc *Ammon.* (Genes. 19. 34. ad fin. usq.)

 Gene-

Benedicitur, quod *SCIT, & NESCIT CVI POSVERIT*;& uxoris *nec MARITVS, nec AMATOR, nec NECESSARIVS: neque MOERENS, neque GAVDENS*, & sic illa nec *VIR, nec FOEMINA*, &c. est; & est *OMNIA*; quia est Author, qui vellit ipsam statuam mestruare fluxu sanguinis quasi naturali, & si aliquis viator eam mutilat, continuò quasi per nutritionem convalescit. Et nec *Sepulchro* jacet; & ipsa *Sepulchrum* esse potest; quia est *Sepulchrum* sine cadavere, & cadaver *sine Sepulchro*. Audiatur Tertull. citat.

Ipsa quoque Imago formam sine corpore servans
Durat adhuc, nunquam pluvijs, nec diruta ventis;
Quim etiam si quis mutilaverit aduena formam,
Protinùs exsese suggestu vulnera complet.
Dicitur, & vivens alio jam corpore sexus,
Munificor solito dispugere sanguine Menses.

Et Pater Cornelius. Sal hoc videtur fuisse metalicum, quod pluviæ resistit, & ædifitijs soliditate sua est utile, de quo Plin. lib. 31. cap 7. Hinc apud Cornel. fol. 174. de statua salis uxoris Lot extat ænigma.

Cadaver, nec habet suum Sepulchrum;
Sepulchrum, nec habet suum cadaver:
Sepulchrum tamen, & cadaver intus.


ÆNIGMA ALIVD.

6. Hæc omnia, & alia, quę brevitatis gratia pretermito hausi ex fluido illo fonte cujus est hoc Juditium, sed DE CANI hujus sensus vià devio; tùm quia Saulis *eminentioris* omnibus *populi ab humero, & sursum* (1.Reg. 9. 2.) vestimentis Regijs non potest parvulus David *Pastor ovium* incedere, *sed deponere ea, & baculum suum, quem semper habet in manibus*, (1.Reg. 17. 38.) elligere. Tùm etiam quia discursum illum explanare non valeo.

7. Jam ergo ad mentem meam cujusdam veteris ingenij innixus auspicio, & ni fallor *dragmam inveniens* (Lucæ 15. 8.) (quod *luci præeunti* tribuendum est) appertendam sitibundus accedo. Et primò quidem maleum maleò fundam, quia præfatum ænigmaticum Epitaphium alio ænigmatico annagrammatè solvam; deinde claritate, qua posim ad amusim exponam. Faxit Deus.

PER

PER ANASTROPHEN I. ANNAGRAMMA ÆNIGMATICVM SOLVENS ÆNIGMA.



INVERSA ROMA.

8. En emphaticum annagramma *ROMÆ* inversæ quod quidem significat ænigma nostrum; Nam *Roma* (teste Lypsio de mag. Rom. lib. 1. cap. 2.) *inter Imperia, & magnitudines, quas Deus à condito Orbe esse voluit, eminere censeo, & primas ferre hanc Romanam.* Est enim

Terrarum Dea, Gentiumque Roma,
Qua nihil in terris complectitur altius æter.

Ait Martialis. Et eleganter inferendo cecinit Propertius:

Omnia ROMÆ cædant miracula terræ,
Natura hic posuit, quidquid ubique posuit.

Ex quibus sic: ergo *ROMA* omnia superat, & *ROMÆ* omnia cædunt; sed *ROMA* inversa est *AMOR*, & *AMOR* omnia vincit, ut cecinit Poëta:

Omnia vincit amor, & nos cædamus AMORI.

Ergo Annagramma illud *ROMÆ INVERSÆ* per Anastrophen *AMOREM* omnia vincentem adumbrat. Si ergo omnia vincit *AMOR*.

CÆDAMVS AMORI.

II. DISTINCTE.

9. *AMOR*, inquam, est, quod in ænigmatè nostro describitur; quia Deus *AMOR*

Æthereaque, & terras, & maria alta domat.

AMOR enim tanta majestate, & Deitate polet, ut describi va-

valeat, definiri non posit. Quod Deus *AMOR* ænigmatè nostro exprimatur mox clarè fluet, & patebit ex veterum Platonicorum scriptis. Primò quidem ex Alexide veteri Comico qui in Phædro suo Pictores increpabat quòd nescirent rectè exprimere *Cupidinem*: *eum*, namque, *neque Marem esse*, *neque Fœminam*, *neque Deum*, *neque Hominem*: *nec Stolidum*, *nec Prudentem*, *sed compositum undecumque*, *ac figura unà multas formas representare*. Unde Poëtice canitur:

Quid non posit AMOR? Quæ se non vertat in Ora?
Quid non efficiat? Quæ non miracula rerum
Excitet? Et quales non tendat semper in ausus?

Sed meliora ad intentum extant carmina Alexidis apud Athænæum lib. 13. Dipnosophist. in hunc modum canentia:

Mihi quidem ignorare videntur Pictores,
Qualis AMOR sit: & (ut paucis absolvam) quotquot
Hujus Dæmonis statuas faciunt.
Neque enim MAS ille est, nec FOEMINA,
Nec Deus, nec Homo: nec Fatuus,
Nec Prudens; sed coagmentatus ex omnibus
Sub unà formà multas species ferens.
Nam ejus virilis est audacia; ignavia vero
Muliebris: Amentia furiosa. Ratio
Cordata, & circunspecta: ferina vehementia: Labor
Indomitus: Ambitio, & contentio Dæmoniaca.

10. Audiatur Sophoclis elegans locutio de *VENERE*.

O pueri, certè Venus *non solùm* Venus *est*,
Sed omnium particeps nominum.
Hæc eadem est Pluto, & invicta Necessitas,
Hæc est Rabies furiosa, hæc mera Cupiditas:
Serium, tranquillum, violentum. (*est.*
Tabescit enim illorum Anima, in quorum pulmonibus in

Et Plato *Amorem multorum capitum belluam* appellat. Consequenter Plutarchus in eo libello, quo probare tentat *Amorem* non esse judicium, tuetur *eum ænigma esse inventu, solutuque difficile*. Ex quibus, ni fallor, prima ænigmatis nostri pars satis clarescit. Nihilhominus per partes illud cucurram (reservato ad finem usque operis quæsito: cur inscriptum sit

mo-

monumento, tanquàm titulus, ly *ÆLIA, LÆLIA, CRISPIS*? Quod non insolutum manebit) Primò quidem legitur ita.

11. *NEC VIR, NEC MULIER, NEC ANDROGINA, &c. SED OMNIA.* Non ideò *Amori* competit uterque sexus, quia ei insit *Virilis Audacia, & Muliebris Timor*, ut Alexis dixit, sed quod in utroque sexu æquè vires suas exerceat, ac dominetur: Exempla, si retulissem, innumera forent tûm sacra, tum prophana; sed quia perspicuum est, & brevitati inhio, silentio vaco. Hinc (teste Macrobio) in Cypro erat *Barbatæ Veneris Simulacrum, signum ejus est*, inquit citat. Macrob. *Cypri barbatum corpore; sed veste muliebri cùm sceptro, ac statura virili: & putant eamdem Marem, & Fœminam esse*. Et Calvi versum adducit.

Pollentem que Deum Venerem.

Et Levij verba: *Venerem igitur almum adorans, sive Fœmina; sive Mas est*, ita uti Alma Noctiluca est. Et Plato dialig. de Amore, ait principio tria hominum fuisse genera, *Marem, Fœminam, & Androgynon*; sed cùm tertium genus superbia elatum Dijs se æquare vellet, à Jove Deorum Deo in duas partes divissum esse, ac separatum; sed vi *Amoris* eas partes iterum conjungi, & uniri. *Principia* (verba sunt Platonis) *tria Hominum erant genera, non solùm quæ nunc duo Mas, & Fœmina, verùm tertium quoddam aderat ex utrisque compositum, cujus solum restat nomen, ipsum perijt. Androgynum quippe tunc erat, & specie, & nomine ex Maris, & Fœminæ sexu commixtum. Ipsum profectò defuit, nomen solùm infame relictum.* Moxque addit: *Hinc utique ex illo tempore mutuus hominis innatus est Amor, priscæ naturæ conciliator, annitens unum ex duobus efficere, hominumque naturæ mederi.* Audiatur opinio apud Abul. in cap. 2. Genes. fol. 15. §. F. *Ex hoc refellitur intentio dicentium quod vir, & fœmina fuerunt creati conjuncti in lateribus, & postea separati solum.* Ergo *NEC VIR, nec FOEMINA, nec ANDROGYNA; sed OMNIA.* Est *AMOR.* Quid fundamentaliùs, & clariùs, ut negare, ad lucem sæcutire non sit?

12. *Nec PUELLA, nec JUVENIS, nec Anus, &c. sed OM-*

OMNIA. Phædrus in Sympoſio apud Platonem *Amorem* Omnium Deorum *Vetuſtiſsimum* eſſe tuetur; Agathon verò quod ſit J*uvenis*, tenet, & quidem *Maximè puer*. Audiatur Phædrus: *Magnus Deus eſt Amor, & apud Deos, hominesque mirandus, præter alia multa, propter ejus Originem. Cùm enim ex Antiquiſsimorum Deorum ſit, honore dignus apparet. Id autem ex eo arguimus, quod Parentes Amoris, neque ſunt, neque ab ullo, vel Poëta, vel alio quovis traduntur.* Unde poſſumus dicere Amorem natum fuiſſe ex herbis; ſecundum proloquium Hiſpanum *nació de las Yerbas* juxta carmina Catuli:

> *Ipſe* Amor *per Dianæ* rure *natus dicitur.*
> *Hunc* ager, *cùm parturiret ipſe, ſuſcepit ſinu*
> *Ipſe* florum *delicatis educavit oſculis.*

Et Ovidius loquens de Amore transformante Jovem Hyacinthum in florem cecinit:

> *Ecce cruor, qui fuſſus humi ſignaverat* Herbas
> *Ingenioſus* Amor. . . . .

Agathonis verò ſententia hęc eſt: *Aſſero equidem, cùm Dij omnes beati ſint, Amorem (ſi modò fas eſt, & tolerabile dictu) eſſe omnium Beatiſsimum; quippè cùm Pulcherrimus omnium, optimusque exiſtat. Quod verò Pulcherrimus ſit ex eo primum patet, quod Deorum, ô Phædre, omnium maximè* J*uvenis eſt... & ſenectutem* A*mor naturà odit, fugitque;* J*uvenibus verò ſe miſcet. Scitè quidem veteri proverbio fertur: ſimile ſimili ſemper hærere. Et cum alia multa Phædro concedo, in hoc minimè aſſentior, quod* Amor *Saturno, &* J*apeto ſit antiquior; imò præ cæteris Dijs* J*uvenem eſſe ajo, ſemperque* J*uvenem, &c.* Vberiora, ſi velim, in hanc ſententiam afferri poſsem. Ergo: NEC PVELLA, NEC JUVENIS, NEC ANUS, &c. SED OMNIA, eſt AMOR.

13. NEC CASTA, NEC MERETRIX, NEC PVDICA; SED OMNIA. Ammonius, Phurnutus, Alijque volunt A*mori* convenire *Caſtitatem, & Impudicitiam* quia vox Amor græcè inſcripta ſignificat A*morem impudicum, & flagitioſum; & Pudicum, & Bonum.* Stante ſolùm differentia in modo legendi, & ſcribendi. Et certè A*mor* bonus eſt, cùm ſit univocus Amori bono, & malo, & ſolùm vitiatur ex inordinata ten-

tendentia in objectum. Amor enim, & voluntas ab illo mota semper vult bonum cognitum ut tale, si tendit in bonum honestum, laudatur, & *Pudicus* dicitur; sin autem in inhonestum, & delectabile, vituperatur, & *Impudicus* nominatur. Ergo NEC CASTA, NEC MERETRIX, NEC PVDICA; SED OMNIA, est AMOR.

14. SVBLATA NEQVE FAME, NEQVE FERRO, NEQVE VENENO, SED OMNIBVS. Cogitat Author ænigmatis varios infelicium A*mantium* tragicos exitus, quorum alij Fame, alij Gladio, alij Veneno, vel alio mortis genere periere, habens in mente illud Thaletis effatum.

> Amorem fames *tollit: sin minùs tempus:*
> *At si neutrum istorum flammam extinxerit,*
> *Reliqua tibi Cura est suspendium.*

Ausonius narrans varia infelicis A*moris* exempla ut Procridis, & aliorum *Cupidinem Crucifixum* pinxit, & ita canit:

> *Vulnera siccat adhuc Procris, Cephalique cruentam*
> *Diligit, & percussa manum: fert fumida testæ*
> *Lumina Sestiaca præceps de turre puella.*
> *Et de nimboso saltum Leucate minatur*
> *Mascula Lesbiacis Sappho peritura* Sagittis
> *Harmoniæ cultus Eryphile mæsta recusat*
> *Infelix nato, nec fortunata* Marito.

Et paulò post:

> *Parte truces alia strictis mucronibus omnes*
> *Et Thisbe, & Canace, & Sidonis horret Elissa:*
> *Conjugis hæc, hæc Patris, & hæc gerit hospitis* ensem.
> *Centum aliæ veterum recolentes vulnera Amorum*
> *Dulcibus, & mæstis refovent tormenta querelis.*

Plura alia infelicis A*moris* exempla tradit Plutarchus, & Parthenius, nec non Virgilius 6. Æneid. ubi *lugentes Campos* describit. Ergo: SVBLATA NEQVE FAME, NEQVE FERRO, NEQVE VENENO; SED OMNIBVS, est AMOR.

15. NEC COELO, NEC AQVIS, NEC TERRIS, SED VBIQVE JACET. A*moris* vis, & Potestas per elementa omnia, mundumque universum protenditur, & tam in *Cœlo*, quàm *Terra*, & *Mari* vires suas exercet, & omnia

nia coercet. Audiatur Eryſimachus Medicus apud Platonem in Sympoſio, ubi Pauſaniæ Orationi, qui Amorem in *Cœleſtem*, & *Vulgarem* diviſſerat, reſpondet: *Diſtinctionem quidem illam quà in duo diſtributus eſt* Amor, *approbo... & non ſolùm animis hominum erga Pulchros amorem ineſſe; verùm etiam ad alia multa, quæ è terrà naſcuntur ... ac denique in omnibus, quæ in rerum naturà conſiſtunt. Magnum quoque, & admirabilem hunc Deum per omnia tam humana, quàm Divina latiſsimè ſe porrigere.* Vt eleganter cecinit Oppianus Cyneget. 2.

Dure Amor *quantus eſt! Quanta tua infinita Potentia!*
Quanta cogitas! Quantùm dominaris! Quantùm, Tive, (ludis!
Terra *firma eſt, tuis tamem* Telis *commovetur.*
Inquies eſt Mare; *ſed tu illud ſtabiliſti.*
Veniſti in Cœlum, *vidit te magnus Olympus:*
Omnia te metuunt, & cœlum latum ſuperbe, (tuorum
Et quæcumque infra terram ſunt, triſteſque cœtus mor-
Qui Lethes hauſerunt ore oblivioſam aquam.

Sophocles loquens de Venere audiatur;

. . . . *Quis verò hanc Deam non patitur?*
Piſcium *namque genus* natatile *ſubit,*
Et inter quadrupedes in terra *exiſtit:*
Moventur & inter volucres ipſius alæ,
Interque feras & homines, Deoſque Superos.
Quem non Deorum colluctando iterum atque iterum proſ-
Quod ſi licet (licet autem) verum dicere; (ternit?
Jovis *pulmonum Domina eſt. Abſque haſtà*
Et abſque ferro omnia diſcindit
Venus *tam Deorum, quàm hominum conſilia.*

Qui uberiora velit apud Euripidem inveniet. Ex his ergo ſequitur, A*morem Cœlum. Mare. Terramque* tangere, & ubi ſiſtit, neſciri: Ergo NEC COELO, NEC AQUIS, NEC TERRIS; SED VBIQVE JACET. AMOR.

16. LVC. AGATHO PRISCIVS. Hic judico, deſignari Authorem ænigmatis. Sunt, qui dicant A*gathiam* Poëtam inferioris ævi, & hiſtoricum, nec non *Scholaſticum* hic intelligi; ſed errant profectò. Meo enim videri hic exprimitur Ju-

ve-

venis formosissimus. Erat enim Agathon ille *Poëta Tragicus*, (Agatho Philosophus Pithagoricus, de quo Ælia. Ant. Nebr. fol. 434.) qui cùm coram triginta Græcorum millibus palmam in Tragedia retulisset sequenti die festum victoriæ suæ celebravit. Interfuere autem illi convivio amici ejus *Phædrus*, *Pausanias*, *Erysimachus*, *Aristophanes*, *Socrates*, & alij; qui (ut videre est apud Platonem in Symposio) variè de *Amore* disputarunt. Agathon hic sua ætate Græcorum deliciæ erat ob ellegantem formam, & singularissimum ingenium perspicacitate polens, secundùm Epigramma Platonis, quod à Gellio, & Macrobio adfertur:

Suavia dans AGATHONI, *animam ipse in labra tenebat;*
Ægra etenim properans tanquam abitura fuit.

Ælianus lib. 2. var. hist. cap. 21. pulchram, & amœnam de Agathone, & jus amatore Pausania tradit historiam, quam summatim repetam. A*gathonem Poëtam amabat Pausanias Ceramensis... venerunt ad* A*rchelaum ambo ... & cùm videret crebras esse contentiones inter eos ...* A*gathonem interrogavit* A*rchelaus quid sibi vellet, quod frequenter simultate exerceret cùm eo, à quo summoperè amaretur? At ille inquit, ò Rex, rationem tibi reddam. Neque enim contentior sum, aut amorosior adversus ipsum ... Gauditium enim capit si contentionem cùm eo subinde solvam & reconciliem* ...... Longissima esset hęc historia, si ad verba narrassem; sed ex ea, & contentione hac amicorum perspicuum est cùr A*gathon* (ut post patebit) neque *Mœrens*, neque *Gaudens*, neque *Flens* dicatur.

17. Porrò etiam Euripides hunc A*gathonem* in delitijs habuit; ut refert idem Ælianus lib. 13. cap. 4. & Plutarchus in Apophlegmat. Ejus verò tragediarum mentionem faciunt Suidas, & Aristoteles in Poëtica; ac Lucianus; meminit illius & Xenophon in Symposio. PRISCIVS verò cognomento hìc dicitur quod PRISCVS jam, & vetus foret ratione habita illius temporis, quo hoc æpitaphium ab eo scriptum est, qui quidem sub ejus nomine latere voluit. Ergo clarè fit LVC. AGATHO PRISCIVS.

18. NEC MARITVS, NEC AMATOR, NEC NECES-

CESSARIVS, &c SED OMNIA. Res clarissima est; potuit enim ille & simul *Maritus* esse uxoris suæ, & præterea *Amator* alicujus alterius *Veneris*; urbanè verò addit *Necessarius*, quod multi sub *Familiaris*; ac *Necessarij* nomine furtivis amoribus *indulgere* soleant.

19. NEQVE MOERENS, NEQVE GAUDENS, NEQUE FLENS, &c. SED OMMIA. Potuit Author ænigmatis loquens de *Amore* etiam dicere: NEC MORIENS, NEC VIVENS; SED OMNIA, ut vidi in ænigmate descripto, quod ad manus meas pervenit, & quidem ægregriè addidit, qui illud ita subscripsit. Cùm enim *Amor* definiatur à Platone (apud Gasparium Sanctium Commentar. in cap. 2. Canticor. fol. mihi 97.) *Ardor animi in proprio corpore mortui, & in alieno viventis*, benè potest dici, quòd AMOR NEC MORIENS, NEC VIVENS; SED OMNIA est. *Est homo nec mortuus, nec vivens.* (S. Hyer. in cap. 5. ad Galatas.) Sed hoc de essentià *Amoris*, transeamus ad effectus, & affetus, qui omnes, etiam varij sunt in *Amantibus* Gaudium, Dolor, Spes, Metus. *Quamobrem Pictores Cupidinem aliàs Tristem, anxium, jacentemque pingunt: aliàs hilarem subridentem, volitantem &c.* Verba sunt Alexandri Aphrodisæi lib. 1. Problemat. 87. Et Plato suprà allatus ait: *Amor habet quiddam gratiosum blandum, & jucundum .... quòd oderit simul & amet, fugiat, & persequatur, minetur, & supplicet, irascatur, & misereatur, desinere velit, ac nolit, eàdem re maximè tùm gaudeat, tùm tristetur.*

20. Pater Gaspar Sanctius comment. in Cantic. cap. 2. fol. mi 96. citat Erasitrastum, qui deprehendit olim arteriarum pulsu in adolescente quodam latentem morbum Amoris. Et idem ante Sanctium tradiderat Plutarchus in vita Demetrij. Et paulò post ait citatus Sanctius: amantem difficultates, & molestias animo semper alacri, atque *integro* audacter aggredi. Quod didicit ex Div. Augustino lib. 13. Confess. ubi ait: *Verus amor non sentit amaritudines, quia Amoris soror dulcedo sicut soror odij est amaritudo .... quia qui amat, non laborat; omnis enim labor non amantibus gravis est. Solus Amor est quod nomen difficultatis erubescit.* Sicque

de

de imbecillà fœmina poëta quidam cecinit, teste Plutarcho in quàdàm disputat. amatoria.

Audacem faciebat Amor. ——

Notum fuit apud Veteres olim *Amorem* duplicem arcum habere, quorum uno sagittas *Lætitiæ*, altro *Tristitiæ* effectrices ejacularetur. De quibus Claudianus de Nupt. Honorij cecinit:

Labuntur gemini fontes, hic dulcis, Amarus
Alter, & infusis corrumpit mella Venenis,
Vnde Cupidineas armavit fama sagittas.

Varios autem *Amoris*, & Amantium affectus eleganter explicavit Ismenias illustratus à Gualmino in nuperiori Eustathij edditione: *His dictis lectulo me commissi multiplici curarum salo anxius; ut enim tempestate navis agitatur, sic diversæ mentis varijs jactabar discursibus; modò* TRISTITIA, GAUDIO, METV, VOLVPTATE, *ac* TIMORE *plenus*. Ergo NEQVE MOERENS, NEQUE GAUDENS, NEQUE FLENS, &c. SED OMNIA, est AMOR.

21. HANC NEQUE MOLEM, NEQVE PYRAMIDEM, NEC SEPULCHRVM; SED OMNIA. Cùm suprà de varijs infœlicium *Amantium* casibus locutus sit Author, hic nunc varias tumulorum, & æpitaphiorum species complectitur. Alij enim ut ingentem in defunctos amores suos affectum testarentur, immensas Sepulchrorum *Moles* extruxerunt, ut *Mausolæum* Artemissa, quæ & ipsamet haustis mariti sui cineribus in vivum ejus sepulchrum concessit. Alijs *Pyramides* erectæ sunt, ut Rhodopidi meretriculæ, cujus Pyramis majori miraculo, famaque fuit, quam cœteræ Regum Ægyptiorum. Teste Diodoro, qui apud Ægyptios, ait, vetustissima, & magnificentissima fuisse sepulchra in signum *Amoris*. Ita Penelope adhæsit Vlyssi. Audi Poëtam.

Penelope desponsata sequi cupiebat Vlyssem,
Ni secum Icarius mallet habere Pater.
Ille Itacam, hic offert Spartam: manet anxia Virgo
Hinc Pater, inde viri mutuus urget amor:
Ergo sedens velat vultus, obnubit ocellos:
Ista verecundi signa pudoris erant

Queis sibi prælatum Icarius cognovit Ulysem,
Hocque pudori aram schemate constituit.

Dido soror Pygmalionis multo auro, & argento congregato navigavit in Africam; ibique Carthaginem condidit; & cùm ab Hyarba Rege Lybiæ in conjugium peteretur, extructâ in memoriam mariti quondam Sychæi *Pyra*, in illam se conjecit, malens ardere, quàm alteri nubere. Et alia mira apud Patrem Cornel. in Pent. ad cap. 2. Genes. vers. 24. fol. 70. Ergo HANC NEQVE MOLEM, NEQVE PYRAMIDEM, NEC SEPVLCRHUM; SED OMNIA scit AMOR.

22. SCIT; ET NESCIT CVI POSVERIT. Acuta & verax est conclusio Epitaphij hujus. Nam quod ait *scire se, & nescire cui posuerit*; SCIT quidem se AMORI posuisse; sed cùm id, quid sit AMOR ignoret; quod jam antea fassus est, dùm tot ejus nomina, & formas recenset, fit ut pariter & SCIAT, & NESCIAT CVI POSVERIT. Sed de hoc satis.

§.

23. RESTAT nùnc, ut absolutionem opusculo nostro imponam, explicare ly ÆLIA, LÆLIA, CRISPIS. Quæsitum, quod usque hùc insolutum reliqui: & ni solis nominibus involvar, & de solo nomine quæstionem instituam. Existimo, Authorem hìc diversa nomina vulgo obvia à Romanis usitata usurpasse; nam quemadmodum diversas formarum differentias, & nomina, quæ Amori conveniunt, recensuit; ità etiam diversa objecta, & subjecta illi attribuit, quasi dicat, Amorem esse & in ÆLIA, & in LÆLIA, & in CRISPI; solent enim à Poëtis nomina hęc Fœminis, ac Meretriculis vulgò tribui. Testis est Martial. lib. 1. Epigr. 19.

Si memini, fuerant tibi quatuor, ÆLIA, dentes,
Expuit una duos tussis, & una duos.

Festus autem loques de notione hujus nominis ait: *ÆLIA, Gens appellatur, quæ ex multis gentibus conficitur. LÆLIÆ* verò nomen etiam promiscuè idem Martialis passim usurpat ut lib. 5. Epigr. 75.

Quæ legis causa nupsit tibi LÆLIA, Quinctæ,
. . . .

Et lib. 10. Epigr. 58.

Tu licet ædifices totam, referasque Corinthon
Non tamen omninò, LÆLIA, Lais eris.

Et lib. 13. Epigr. 22.

Dentibus; atque comis, nec te pudet, uteris emptis;
Quid facies oculo, LÆLIA; non emitur.

24. CRISPIS Nomen hoc Patronimicè hìc positum est à CRISPIO deductum. Talia sunt PERSIS, & COLCHIS. Solent autem &, CRISPA, & CRISPILLA vulgò apud Poëtas esse Scortorum nomina. Hinc apud Ausonium lib. 1. extat Epigramma subscriptum picturæ CRISPÆ mulieris impudicæ. Et ibidem Epigramma 70. ad CRISPAM.

Deformem quidam te dicunt CRISPA: at ego istud
Nescio. Mi pulchra est. Judice me satis est.
Quin etiam cupio, junctus quia Zelus Amori est,
Vt videare alijs fœda; decora mihi.

Solet etiam *CRISPITVDO CAPILLORVM, AMORI* tribui: unde Politianus, qui vertit Moschum de Græco in Latinum loquentem de *Amore fugitivo*, ita canit:

Insignis puer est, ac totam agnosce figuram:
Corpore non niveus, verum ignem imitatur: Ocelli
Acres, flammeoli: mala mens, suavissima verba:
Quod loquitur non sentit idem, vox mellea: sed cùm
Ira inflammatur; tunc mens illi effera, fallax,
Fraudator, mendax, ludit crudele puellus,
CRISPVLVS est illi vertex, faciesque protervа,
Exiguæque manus; procul autem spicula torquet.

Quin autem homines candidati, rubri, ac molles Amoribus dediti *CRISPO* capillitio esse ferè omnes solent: unde quidam vetustissimus Poëta cecinit:

CRISPVLVS iste quis est uxori semper adhæret,
Qui, Mariane, tuæ? CRISPVLVS iste quis est.
Nil mihi respondes? Vxoris res agit, inquis,
Iste meæ: sanè certus & asper homo est:
Procuratorem vultu qui præferat ipso:

Acrior

Acrior hoc Chius non erit Aufidius.
Res uxoris agit? Res nullas CRISPVLVS iste,
Res non uxoris, res agit ille tuas.

25. AMOR enim ut potè formosissimus inhæ et simili & Juventutem, & Pulchritudinem appetit, ut dixit Agaton suprà citatus, sicque colorem purpureum, & niveum deciderat, ut ait Pat. Gasp. Sanct. in Cant. fol. 131. citans Tibull. lib. 3. Eleg. 4. Et Statius lib. 1. Achil.

——— *Niveo natat ignis in ore*
Purpureus ———

Et apud Calmet. commentar. in Cantic. fol. 84.

Candor erat qualem refert Latonia Luna,
Et color in niveo corpore purpureus.

Capillos autem ut colori niveo, & purpureo respondeant vult Amor aureos, sic ait Josephus in Antiquitat. citatus à Calmet. loc.cit. *Salomonis prætorianos milites promissiores gestasse comas, quas aureà nitella onerabant, quam obrem ad Solis radios velut aurei undequaque effulgebant. Et Plinius lib. 33. cap. 1. ait quod Commodus Imperator, Lucius Verus, & Gallienus id facere consueverant. Et Anacreon Ode 24. vult dilectum filiolum suum pingi cum cæsarie nitenti, suprà quidem aureà, subtus vero nigra. Talis erat Salomonis coma. Hæc Calmet ubi supra & ideò apparebat Salomon tam pulcher, ut non solùm esset dilectus sponsæ, sed ideò adolescentulæ dilexerunt illum.* Cantic. 1. 2.

26. Verùm enim verò pulchritudo non solùm nititur in aureis capillis; quin etiam nigri commendati fuere apud antiquos ut videre est in Orat. de art. Poët.

Spectandum nigris oculis, nigroque
Capillo.

Et Septuaginta citati à Calmet. ubi supr. dicunt: *Capillos Salòmonis fuisse suspensi pendentes, vel fluctuantes super frentem, Crispati & nigri tanquam corvus. Sed hoc,* ait Pat. Gasp. Sanct. in Cant. fol. 161. comm. in cap. 4. *est in viris, & si laudantur in Fœminis ratio est quia argumentum est, illas esse honestas, quarè ut Satyra 6. Juvenalis: Messalina Claudij uxor, quæ dignitatis retinendæ gratia crines nigras servabat cùm aliquid furtim obcænum moliebatur flavà cæsarie nativam suam co-*

mam

mam occultabat. Esse verò in pretio inter fœminas comam flavam ostendunt multa Poëtarum loca. Virg. de Didone 4. Æneid.

——*Nondùm illi flavum Proserpina*
Crinem
Abstulerat ———————

Et Catullus in Epitaliam. Tuliæ:

Aureas quatiunt comas.

Quare ex Arctoâ regione alienos capillos sibi Romanæ comparabant fœminæ, quos gestarent pro suis. Martial. lib. 5. ad Lesbiam, & Apophor. 26. & 27.

27. Unde Author ænigmatis, dixit *CRISPIS* quasi consecrando Amori crispitudinem capillorum, quia cum Amor inhiet, & inhæreat Pulchritudini, & hæc stet in Crispulo capillitio, benè dixit Author *CRISPIS*. Audiatur D. Ambros. lib. 1. Examer. cap. 9. & Epist. 36. *Quàm reverenda,* inquit, *Cæsaries in senibus, quàm veneranda in Sacerdotibus, terribilis in Bellatoribus, dulcis in pueris, decora in adolescentibus, compta in mulieribus. Tolle arboris comam, arbor ingrata est, tolle humani capitis capillum, tota pulchritudo flascescit.* Luculentèr verò D. Chrysost. homil. in Eutropium ubi inter pulchritudinis decora, quæ vivaci penicillo depingit, plùs quam picta venustate colorat *CRISPÆ* comæ pompam recencet. *Quæ est,* inquit, *corporis pulchritudo? Supercillium prorrectum, oculus suavitèr, & gratiosè arridens, genæ rubore purpureo suffussæ: labia coloris phænicei, collum erectum, coma ultrò se vibrans, & motitans: digiti in longum producti, statura erecta. candor efflorescens.* Quarè Sydonius lib. 1. Epist. 2. in Theodorico Gotorum Rege corporis formam commendat lacteà cutè conspicuam: *Quæ proprius inspecta juvenili rubore suffunditur ... caput rotundum, in quo paululùm à planitie frontis in verticem Cæsaries refuga CRISPATUR, & aurium ligulæ crinium superjacentium flagellis opperiuntur.*

28. Sic etiam Anton. Sabellicus lib. 6. Æneadis 8. quem transcripsit Menoch. lib. 6. de Præsumpt. 56. n. 23. *Quemdam depixit Regem formà, & ætate florentem Crispo, atque rutilanti Capillo cujus amore capta Romilda Gisulphi uxor urbem alioqui munitissimam cùm liberis, & omni Gaza hostibus patefecit.*

Et Plutarch. loquens de Cymon, ait: *Erat pulcher Capillitio Crispo, & densa capitis insignis coma.* Et Homerus de Vlysse ità canit:

Cærulei pendent de vertice crines.

Et iterùm:

CRISPAMQVE in vertice fudit....

Cæsariem, & gratos hyacinthi flore capillos.

Et Maro commendat pulchritudinem Auroræ ita canens:

Aurea fulgebat roseis Aurora Capillis.

Et Poëtæ genijs suis quos floridà specie conspicuos opinabantur, id decus tribuerunt, ut observat Cresolius in Mistagogo sect. 2. Hinc Antiqui sapientes Cœlum capiti respondere asserebant. Hinc & Cœlum capitis perbellè dixit Plinius lib. 11. c. 37. & illius & Cœli Stellas videri Capillos aureo fulgore lucentes, quarè cùm quidàm in somnis vidisset Stellas defecisse omnes, Calvus factus est, teste Artemidoro de Somnijs lib. 2. cap. 38. Et Bachum *cùm multis crinibus* depinxit Philostratus epist. 26. Et Euripides in Bachid. act. 2. dixit, quòd Philostr. citat. dat Bacho fussum capillum cupidine mãdidum Amoris illicem, quia pulchritudo, cui vacat Amor in Crispulo eleganti consistit capilitio, ut videre est in Absalon lib. 2. Reg. cap. 14. vers. 25. & 26. *Porrò sicut Absalon vir non erat pulcher in omni Israel, & decorus nimis à vestigio pedis usque ad verticem... & quando tondebat Capillum ..quia gravabat cum Cæsaries, ponderabat Capillos capitis sui ducentis siclis, pondere publico.* Quia pulchritudo, cui Amor adhæret in Capillorum Crispitudine, & densitate consirit. Secùs verò si secùs. Audiatur Ovidius de arte amandi.

Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus.

Et sine fronde frutex, & sine crine caput.

29. Et cùm capilli significent affectus mundiales, quibus Amor carnalis se immiscescit, ideo Martialis lib. 12. Epigr. 29. & Juvenalis Satyra 6. ajunt Sacerdotes Isidis linigeros calvos fuisse. Et sacratiùs Ludovicus Cresolius in Mistagogo lib. 4. sect. 2. pag. 955. ait: Prophetas Sacros, ut simplicitatem animi sinceri ostenderent, rasis capitibus fuisse, Ezechielem, Zachariam, & Ælisæum, cujus petulantium illam puerorum illusio-

sionem: *Ascende calve* lib.4. Reg. cap.2. tradit in exemplum. Et Papinius lib. 2. Thebaid. ista carmina habet:

—— ——Vbi casta adolesceret ætas
Virgineas libare comas, primosque solebant
Excusare thoros.

Tondebant enim sibi comas, ut excusarent nuptias præporà reprehsione crinium; ut tradit P. Ludov. Cerda tom. 2. vers. 390. pag. 67. ad illud Virg. lib. 7. Æneid.

—— ——Sacrum tibi pascere crinem.

Et Virgines Cretenses Palladi crinem sacrare consuevisse. Et quidem in Italia, teste Lilio Giraldo in histor. Deor. Syntagm. 4. cap. de Vestà pag. 135. fuit Casandræ Templum propè Salpem paludem, & oppidum Dardanium, in quo si quæpiam Virgo accola Virginitatis amore nuptias sprevisset, *comas* detondens, ut deformior esse videretur, in Virginitatis perseverantià nitebat.

30. Ex quibus infertur, Crispam cæsariem, ut poté perfectio pulchritudinis, cui vacat amor, incitare illum, & voluntatem voluptate trahere; secùs verò tonsio illius; cùm ergo Author Ænigmatis propositi velit, *AMOREM* latere in illo, congruum erat quod ÆLIÆ, LÆLIÆ, & CRISPIS illud sacraret. Et hæc sufficiant pro dilucidatione Ænigmatis, quod voluissem, ut placeret, brevi calamo elaborasse, & culto penicillo depixisse, ut vult Auson. Epist. ad Paul. *Quæ comprehensa brevi sunt, benè culta placent*; sed cùm propter tenuitatem ingenioli nostri nequeam sequi Oratorem citatum à Casiodoro, *qui paucis verbis infinitum claudebat sensum*; sed quem citat Theocritus apud Pier. pag. 113. cujus *hausit verborum flumen mentis gutta*, prudenter timeo, opusculum nostrum magis fastidium, & nauceam, quàm voluptatem exitare, & dùm noscatur Author, magis parvipendetur.

O. S. S. C. S. R. E. & DD. P.

AD LECTOREM.

CAndide Lector: cùm per novem menses, & ampliùs hemitritæis laborarem, & mæstitià imbuerer, ut ab hàc,& tertianà febri vacarem, presenti assumptui hilari, uberi, & alacri operam dedi: quod opusculum ut potè ab ægroto elaboratum, multis defectibus ægrotabit; sed modestia tua lenis oculis non inspiciet,presertim cùm Amicus quidam (non me latet) furtim typis mandarit, quod me annuente, nequaquàm fieret, quia *qui malè agit, odit lucem*; (Joan.3.20.) sed cùm lucem benignitatis tuæ ambiat, facilè veniam adipiscetur. Vale. Et *Verum* sensum,quem super ænigma sequens meditaveris, sumptibus Authoris typis mandabis.

ÆNIGMA ALIUD.

F. M.

NEc Rex, nec Populus, nec vinum, nec aqua;
sed omnia.
Nec aurum, nec argentum, nec res pretiosa;
sed omnia.
Nec Pater, nec Mater, nec Origo;
sed omnia.
Nec facit furta, nec homicidia, nec mare navigat;
sed omnia.
Nec dementia, nec interitus, nec ancilla, nec Domina;
sed omnia.
Aufert Dyadema, & habet, & nec habet, nec aufert:
Cædit, & intuetur: ridet, & indignatur. Omnia est.
PE--A--MEN.

SOLVTIO ÆNIGMATIS.

ALIENVS A CONFVSIONE non est à *SOLVTIONE.*